



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Veritas exosa. Ex Vet. &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS VI. VERITAS.

§. I.

*Illustratur adversariis; vincit.*

**S**uper omnia vincit veritas. 3. Efdra 3. 12. Nebula solet manè aliquò tempore solem obvelare, sed tandem elucetatur. Sic ipsa veritas. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 59.

*Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda; iudicare inter me, & vineam meam. Isa. 5. 3.*

*Si iustum est in conspectu Dei - iudicare.* Act. 4. 19. Nulla maior veritatis comprobatio, quam ipsos adversarios iudices appellare. Sylveira hic.

*Non possumus aliquid adversus veritatem.* 2. Cor. 13. 8. Veritas, ut oleum, aliquò tempore deprimi potest; sed tandem alteri liquori supernat. Triumphavit Veritas contra omnes falsas doctrinas hæreticorum. Et licet principes fulcra supponerent mendaciis; tamen corruerunt. Quam magis Veritas premebatur, quam cum moreretur in Cruce? sed audi publicum Centurionis testimonium: *vere Filius Dei erat iste.* Stella de contemptu &c. p. 2. c. 59.

*Et ecce equus albus; & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax.* - Apoc. 19. 11. *& de ore eius procedit gladius v. 14.* Qui vera loquitur, verbis, tanquam gladio, utitur. Subdit Joannes: *& in capite eius diademata multa.* v. 12. Multas coronas Veritas gestat in capite: quia de multis mendaciis triumphum agit. Pinna Ethol. 54.

Negligentius Veritas quæreretur, si mendaces adversarios non haberet. S. August. l. 63. de divers.

Quomodo apparebit Veritas, nisi habuerit adversarios; qui & sint mendaces, & veritatem oppugnent. S. Macarius hom. 17.

§. II.

*Veritas exosa.*

*Ex Veteri.*

*Impeditioris, & tardioris; lingua sum.* Exod. 4. 10. Cur se dicit ineloquentem? cum de eo Stephanus dicat: Act. 7. 22. *erat potens in verbis suis.* Quia ad regem mittebatur, ad veritatem dicendam. Castillo Illat. 213.

*Nuntiavit ei, quod mihi verum videbatur.* Jos. 14. 7. Ut premium referret, aptius videbatur arduos itineris labores proferre, quam, quod verum erat, testari. Nimirum tam arduum, virtuti, veritatique consentanea enuntiasset. Vide Num. 14. 9. Calebi periculum, dum veritatem profert: *recessit ab eis omne presidium; Dominus nobiscum est* &c. Abulens. q. 43. Josue, & Caleb, videbantur offendisse populum; ideo populus concitatus voluit eos lapidare v. 10. quia resistebant

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

desiderio populi. Totus enim deliberaverat reverti in Ægyptum: isti autem duo resistebant desiderio populi, ostendentes, illud non esse rectum. Naxera in Jos. 14. §. 21.

*David autem psallebat manus suâ - & tenebat Saul lanceam.* 1. Reg. 18. 10. Quis Dei tubas audire sustinet? nè pulsantis quidem citharam Davidis dextera grata est, si Sathanam abigat. Dum malum Spiritum fugat à rege, hasta impetitur. Herodes Joannem libenter audit; sed quamdiu non arguit, Oliva l. 11. Strom. §. Erunt signa in sole.

*Consuluitque Dominum, & non respondit.* 1. Reg. 28. 6. Non audent Sacerdotes viventes Saulem monere de tristi fato. Mittit Deus Samuelem vitâ functum v. 16. Abulens. q. 15. quia Sacerdotes, & Prophetæ, videntes interitum Saulis, appropinquare nolent denuntiare, propter timorem; Samuel verò, qui mortuus erat, non timeret. Addit Zeno l. de Refur: liberius canit mortuus, quam vivus canere consueverat. Velloso in Judith. 5. Paræn. 8.

*Quis decipiet Achab?* 3. Reg. 22. 20. ait Dominus, cum ob multa peccata Achab disponderet, ut deciperetur in consiliis suis. Et statim demon dicit: egrediar, & ero Spiritus mendax. Et statim Dei vox: *decipies, & prævaleris.* Unde tam certa victoria? ex mendacio, quod valde potens in aulis regum, ubi exosa Veritas. Sylveira in Act. 12. 19.

*Erraverunt in solitudine.* Pl. 106. 4. *esurientes &c.* Primum periculum est, devium à veritate hominem in ignorantia solitudine, atque errore, versari; & carentem cibo, potuque sapientia, fame, sitique deficere. S. Prosper hic.

*Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuae audient verbum post tergum momentis.* Isa. 30. 20. 21. *Hec est via, ambulate in ea.* Si auditor videt suum Præceptorem; quomodo post momentis tergum audit? Quia tam ingratus veritatis sermo; ut vel inchoatus, mox cogat Auditorem post tergum accurrere, faciei que dare terga recessuro. Escobar. l. 3. Coll. Chr. l. 1. Sect. 1. Obl. 1.

*Tunc Daniel cepit intrâ semetipsum tacitus cogitare quasi unâ horâ; & cogitationes ejus conturbabant eum.* Dan. 4. 16. Somnium solutus hæret, pallet; timet verum dicere regi. S. Hieron. tacitus intellexit, somnium esse contra regem; & cordis timorem vultus pallore signabat. Velloso in Judith. 5. Paræn. 8.

*Apparuerunt digiti quasi manus scribentis.* Dan. 5. 5. Balthasar, templi vas abutens, vidit manum scribentis in pariete. Æquum nimirum est, ut in regum, & principum, palatiis veritas in lapidibus coelitus scribatur; cum eam pronuntiare audeat nemo. Diez conc. 1. D. 2. Adv.

*Divites ejus repleti sunt iniquitate; & habitantes in ea loquebantur mendacium*

PPP PP 2

Michæ

Michæ 6. 12. Unde eorum opulentia? quia repleti erant iniquitate, & mendaciõ. Sylveira in Act. 16. 17.

*Ex Novo.*

*Joannes in vinculis.* Matth. 11. 2. Veritatis partus monstrofi. Veritas odium parit. Ex venustissima matre nascuntur atri Æthyopes odii, rancoris. S. August. de S. Stephano: mori vis, festinas lapidari, ardes coronari. Unde id infert? quia loquitur veritatem: *vos semper Spiritui S. resistitis.* Act. 7. 51. Didacus Nifs. D. 2. Adv. §. 1.

*Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas.* Matth. 13. 34. Considerabat, quàm agrè ferrent homines, veritatem audire; quàm torvò vultu, & hirsutò nasò, eum aspicerent: & considerans, quàm necessarium hominibus foret, veritatem audire; veritatem parabolis, & similitudinibus, involvebat, & velabat: ut, qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas aures habebant; saltèm fictis vestibus tectam audirent. Oleaster in Ex. 23.

*Herodias insidiabatur illi.* Marci 6. 19. Nihil in hominibus nequius, nihil ad damnationem proclivius, quàm odire ad mortem scelerum argutores. Quid in infirmo magis infirmum? quàm medici vocem inquirere, qui quærit omnino sanare? Perniciosâ libertatè gaude- re exoptat: in se cœca; neminem sui sceleris vellet esse videntem. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

*Misrò spiculatorè præcepit afferrì caput ejus in disco.* Marci 6. 27. Cur Joannes è carcere vocatur ad mortem? Joseph autem Gen. 41. 14. è carcere evocatur ad Ægypti principatum? S. Chrysol. l. 174. Joseph somnia dum revelat, evasit ex morte: Joannes, ut Dei Filium revelaret, suscipit & mortem. Somnia non sunt res ipsa, seu veritas: Joannes autem, non somnia, sed veritatem narrabat. Sylveira hic. q. 15. B. Joannes Bapt. propter veritatem, quam prædicabat, missus est ab Herode tetrarcha in carcerem, velut latrò, & sacrilegus. Haymo hom. D. 3. Adv. Herodes haud secus ac servus nequam, herilem reprehensionem, ità hic quoque Baptistam metuebat. S. Isid. Pelus. l. 4. ep. 96.

*Dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Marci 15. 23. Vinum myrrhatum cum felle præmittitur, a nequam fodiatur: ut singuli sensus singulas habeant passiones. Et lingua, quæ docuerat dulcia verba vitæ, recompensationem habeat in vino myrrhato, alicujus animalis amarissimo felle mixtò. Implacabili odio Judæi oderant linguam illam; quam talibus ordinaverant amaricari saporibus: memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguebat. Idem l. 13. hic.

*Ejecerunt illum extra civitatem &c.* Luc. 4. 29. Cùm Christum extra civitatem eiciunt, & supra montem ad præcipitandum inducunt; eos designant, qui mente depravati sunt; & veritatem, rectumq; sermonem, & dulcem reprehensionem, eiciunt extra mentes; & Christum, & omne, quod rectum est, de seipis præcipitant per superbiæ montem; imò per mentem tumentem. Sim. Cass. l. 8. c. 14.

*Et velaverunt eum.* Luc. 22. 64. Velant Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neq; pœnarum, neq; Judicii. Hugo Card. hic.

*Bene dixisti, quia non habeo virum &c.* Joan. 4. 17. Mulier veritatis sermonem interrumpit. Toletus: mulier resolutionem controverfiæ petit, ut colloquium de sua incontinentia inceptum interrumpere. Sæpe enim accidit, quando aliquid non admodum libenter audimus; aliquam solemus excitare diversam quæstionem: de qua dum fit sermo, quod erat auditui minus gratum, relinquitur.

*Durus est hic sermo.* Joan. 6. 61. Esto: sermo durus est; nunquid non verus est? lapis durus est; nunquid non pretiosus est? Quare autem Veritas dura est tibi? nisi propter duritiã cordis tui. Mendoza in 1. Reg. 6. 14.

*Quæritis me interficere - qui veritatem vobis locutus sum.* Joan. 8. 40. Omnino implacita Veritas his, qui placita sua quarunt: idèò homini illam dicenti non creditur; quia placitis hominum adversatur. Porrò ex hoc implacita: quia placita humana, & terrena, non recipit; sed è regione consistit, eis adversatur, & percutit. Sim. Cass. l. 11. cap. 39. Si mendacium dicerem, credentis utiq; mihi: quia autem veritatem dico, non creditis mihi, Euthymius.

*Quid est Veritas? & cùm hoc dixisset, iterum exiit.* Joan. 18. 38. Cur, ô inurbane! non expectas Domini responsum? Dixerat, se in hoc venisse, ut testimonium perhiberet veritati; Pilatus autem, dum Christus amara veritatis dogmata parat aperire, veritatis os for terga vertit; ut post tergum momentis verbum audiat. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 1. Sect. 1. Obs. 1.

*Jussit eos duci.* Act. 12. 19. Syr. jussit eos necari. Cur custodes Christi ad sepulchrum bene habent apud Pilatum? custodes Petri male apud Herodem? Milites Petri verum testificabantur, dicentes, Petrum non humanâ, sed divinâ, ope è carcere creptum. At custodes sepulchri mentiuntur. *Discipuli ejus nocte venerunt &c.* Matth. 28. 13. Veritatem dicentes invisî sunt regi. S. Cyrill. Jerof. Catech. 4. quare, sicut Petrò de custodia exeunte condemnati sunt custodes; sic etiam, qui Jesum custodiebant, non sunt condemnati? sed isti quidem multati sunt &c. isti autem silentes veritatem à principibus Sacerdotum servati sunt. Sylveira hic. q. 18.

*Isti homines servi Dei Excelsi.* Act. 16. 17. Cur hæc puella divinando multas conquirebat divitias? Prophetæ multa prædicendo nihil lucrabantur; sed pauperes, & afflicti, erant? Respondeo: quia Prophetæ vera, & sæpe amara, nuntiabant. At verò hæc puella mendacia spargebat; indèque multas pecunias congregabat. Gratius mendacium, quàm Veritas. Sylveira hic. q. 8.

*O insensati Galatæ &c.* Gal. 3. 1. Insensatus propriè dicitur, qui sensu caret: sensus autem spiritualis, est cognitio veritatis. Qui ergo veritate caret, propriè insensatus dicitur. Sapient. 5. nos insensati! S. Thom. Aqu. hic.

Si

*Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis.* Gal. 4. 15. 16.

*Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: eo quod veritatem charitatis non receperunt.* 2. Thess. 2. 10.

### Ex Patribus, & aliis.

Cogitans humanam vitam, & considerans diversos errores; non invenio veritatem in hoc Mundo. Omne, quod videmus; & omne, quod intelligimus, mendaciam est. S. Hieron. in Pl. 115. 11.

Quid Paulo caput absceidit? quid Petrum ad crucem sustulit? quid singulos Discipulos variis tormentis tradidit? nonne quod prohiberent peccatum, & docerent justitiam? Semper enim Discipulis, quos reprehendunt, invisituntur veritatis amatores, & Magistri. S. Gregor. Nyss. de Castigatione.

Veritas ideo semper invisita est; quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum: nec aliter se putat malefactorum voluptate securius frui posse; quam si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo, tanquam scelus, & malitia suae, testes extirpare funditus nituntur, & tollere; gravisque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestive boni, qui corruptis moribus publicis convitium bene vivendi faciunt? Laetantius l. 1. div. instrit.

Si quis vult imitari vitas Prophetarum; si arguat, increpetque, peccatores: statim odium meretur; statim ei detrahetur, statim patietur infidias. Orig. hom. 11. in Jer.

Habet hoc proprium humanae mentis fragilitas; quod per amplius novitatibus, quam summis veritatibus delectetur. Sim. Cass. l. 9. c. 34.

Nulli grata reprehensio est: imò, quod pejus multo est; quamlibet malus, quamlibet perditus; mavult mendaciter praedicari, quam jure reprehendi, & falsum laudum irrisionibus decipi; quam saluberrimam admonitionem fervari. Salvianus l. 8. de Prov. Dei.

Onostri, saeculi perditionem! ò Mundi pessimam corruptelam! ò Mundum mendacis & adulationibus, plenissimum! non est Veritas in Mundo; non est, qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur; fraus, & adulatio, est. Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac Schola exercitati sunt, in hac edocti: ut disce-re fallere, mentiri, adulari; exigua attolle-re, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes. Haec civitas, haec affabilitas: & inurbanus est, quisquis fallere, & mentiri non novit. Si quis verax, si quis fidelis, & probus; rusticus, & stupidus, reputatur. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Dom.

Credite mihi, amarissima est Veritas: sed nescio, quo pacto apud nullos amplius, quam apud literatos, qui sapientes sunt in oculis tuis: apud quos omnis vel admonitio charitativa, vel fraterna correctio, contumeliosae, &

vindicandae, deputatur injuriæ. Gerfon in ep. quadam ad Studentes.

Veritas est, sicut aqua lustralis, quam omnes flagitant: sed, cum spargitur, quisque faciem declinat. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 60.

### §. III

#### Veritatem audiendi, acceptandi, motiva.

**O**rote, ne celaveris me. 1. Reg. 3. 17. Monitores non loquuntur, quia vos filetis: nec sperate locuturos, donec vim quandam amantibus precibus ijs inferatis. Tacebat Samuel, licet accepisset à Deo strages, quae imminabant. Heli, & ejus Domui. Nec syllabam ullam traegediae mox futurae puer sanctus edidisset; nisi eum senex severe adegisset. Haec machina est, per quam ex altissimis hominum animis extrahuntur, sepulta Veritas, & peccata silentio tecta; si dixeritis: *oro te, ne celaveris me.* Oliva t. 2. conc. 26. die Ven. post Cin.

Habet hoc proprium mens profectibus anxia, humilitatis ornata decore; sine contradictione cogitationis, atque verborum, subijcere animum veritati; etiamsi videatur nostris volitis, atque sensibus, adversari. Sim. Cass. l. 2. c. 25.

Adversus solem ne loquere. Pythagorae Symbolum in Ethicis. Id est, veritati manifesta non resistas.

### §. IV.

#### Veritas liberè dicenda.

**E**cce constitui te Deum Pharaonis. Exod. 7. 1. Quasi innueret: quod, nisi deitatem induat, privatus homo minime nuntiabit dura, & acerba, principi; ex quo sperare bona posset, & timere mala. Baeza t. 1. l. 3. c. 4. §. 33.

**O**ccidat unusquisque fratrem &c. Ex. 32. 27. Cur ad munus adeo durum Moyses Levitas selegit? S. Ambros. ep. 56. Sanctiora coeteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus est. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam Sanctis omnia Deus est.

*Non abscondam veritatem tuam à concilio multo.* Pl. 39. 11. Suam David curam intendit, ubi gravius erat periculum supprimendae veritatis; scilicet in concilio multorum. Veloso in Judith 5. 5. Paræn. 10.

*Increpabat eum dicens: neque tu times &c.* Luc. 23. 40. Inexpectatum os ejus aperuit Deus in Cruce, quod veritati patrocinaretur. S. Chrysost. t. 6. orat. de amulat. & pietate.

Qui veritatem praedicat, Christum confite-tur: qui vero eam in praedicatione tacet, Christum negat. S. Anton. Pad. D. 6. Pasch.

### §. V.

#### Veritas opposita falsitati.

**P**ater filius non am faciet veritatem tuam. If. 38. 19. Non revelatur servo Veritas: quia servus nescit. &c. sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quaerit utilitatem. S. Bernardus f. 3. de Cantico Ezech. regis.

PPP pp 3

Nullus